



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus, locisq[ue] scriptos digesti

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

XI. Epistola de colloquio priuato, super tribus praecipue articulis, Ratisponae habito cum Illustriss. Electore Brandenburgensi per Io Cochlaeum, scripta Ratisponae Anno. 1541. Die. 28. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO: RVM LIBRI TERTII

Tractatus Vndecimus.

EPISTOLA DE COLLO.

quio priuato de Tribus præcipue articulis, Ratisponæ
habito, cum Illustrissimo Electore Bran-
deburgensi.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSIS-
simo Principi ac Domino, Domino Ioachim, sacri Roma-
ni Imperij Principi Electori & Archi Camerario,
Marchioni Brandenburgensi, Duci Stetinen-
Pomeraniæ, Cassubiorum &c. Domi-
no suo Clementissimo.
S. P. D.



Senectæ.

Illustrissime ac Generosiss. Princeps Ele-
ctor & ArchiCamerarie sacri Ro. Imperij,
Domine Clemētissime. Hesternadie, hoc
est, uicesimo septimo die Maij dignata est,
Illustrissima Celsitudo uestra humilitatem
ac paruitatē meā clemētissime alloq̄ in am-
bitu & in horto fratrum Prædicatorū & inter colloquendū
meæ uisa est misereri senectæ. Quemadmodū & Illus. Prin-
ceps ac dñs Dñs Georgius March, Brād, etc. Illust. Cels.
uestre Patruelis, q̄ ut acrius me admoneret à paterna fide &
religioſ

ne mea, tanq̄ erronea recedere, dicebat me iā in ulnis animā gerere, & alterū in sepulcro pedē habere, Quæ sane utriusque uestrum admonitio plus apud me pōderis habet, quā tum ad senectam spectat, quā habuerunt omnia uestra contra fidei nostræ Catholicæ & antiquæ articulos quosdam argumenta, Senectam enim, & breuitatem huius uitæ libenter agnosco, Errorem circa fidem in Catholica & Romana Ecclesia nullum prorsus noui aut agnosco, Tametsi abusus quosdam & scandala quædam haud leuia inficiari non possum, quæ neq̄ laudare neq̄ defendere unquā descreui. Cæterum Colloquij istius argumenta circa Tres precipue articulos uersabantur, quorum primus de Ecclesia, Secundus de sacrificio Missæ. Tertius de Inuocatione sanctorum erat.

DE ECCLESIA.]

DE Ecclesia sane Illustriss. Cels. uestra facile intelligebat, quā difficile nobis sit, ueterem, quæ Ro. Pontificem pro summo in terris pastore ouium Christi agnoscit, deserere, ac nouā, quæ intra XXIII. Annos nata est, profiteri & amplecti, Quod ut Illustriss. C. uestra adhuc clarius, intelligat, mitto eidem nunc ea, quæ nuper in septimū Confessionis Dominorum Protestantium articulum scripsi & Moguntia subinde propter Dictam hanc Imperialem tam Germanice quā latine publicauī, ea nimirum intentione ut Lector inde intelligat, quā breui compendio possit hæc in fide inter nos Germanos discordia ad ueritatis metā perducī.

Nihil mihi, nec epistolā hanc exhibui, propter impedimentū ta quædam.

Certe ad cognoscendam ueram Christi Ecclesiam non sufficit, q̄ dicunt aliqui, se habere ueram scripturam & uerbum Dei ueramq̄ sacramentorum administrationem. Ideo

Arrogantia omnium hæreticorum.

Miscell. lib. III. Tract. XI.

apud se ueram esse Christi Ecclesiam, & non apud alios, Et dicunt intra se, Ecce hic est Christus. Nam hæc gloriatio omnibus sectis communis est, Non enim solum modo Lutherani, sed & Zuingliani & Anabaptistæ in Germania, & Calixtini atque Pighardi in Bohemia, Græci præterea & Armeni, Iacobitæ, Georgiani aliæque sectæ in Asia, ueram & uerbi Dei prædicationem & sacramentorum administrationem sibi arrogant præ omnibus alijs, & inter ipsas sectas adhuc sub Iudice lis est.

Vnde cognoscitur uera Ecclesia. *Irenæus lib. 5. c. 3. Tertul. de præscrip. Aug. epistolæ 165.* Oportet igitur ultra hæc aliquid certi superaddere, per quod uera Christi Ecclesia ab omnibus sectis proprie discernatur, Hoc autem est Antiquitas seu Prioritas temporis & certa præpositorum in Ecclesia successio sicut præclare contra omnes sectas probant antiquissimi, scriptores, Irenæus & Tertullianus, Et post eos S. Augustinus contra Donatistas, firmissime autem fundatur hæc ratio in uerbis Christi ipsius, qui dixit de se ipso, Ecce uobiscum sum usque ad consummationem sæculi, Et de spiritu sancto promittit id ipsum, nempe quod mansurus sit nobiscum in æternum, Vnde & Phil. Melancthon coactus est confiteri, quod Ecclesia Christi semper durat, Hanc autem gloriam, utpote semper durare, nulla sibi Ecclesia uere arrogare potest præterquam una Romana, ad quam uelut ad principalissimam antiquissimam & maximam (ut ait Irenæus) omnes alias Christi Ecclesias coniungi oportet, in nulla igitur secta, quæ Ro. Ecclesiæ aduersatur, uera Christi Ecclesia esse potest, quia nulla secta semper durauit, sicut durat Ro. Ecclesia.

DE SACRIFICIO,

Missæ,

Illustr.

Illustriss. Cels. uestra ualde acris ac uehemens in oppo-
 gnatione sacrificij mihi uisa est, ex duabus præcipue ras-
 tionibus, Quarum una erat, auaritia sacerdotũ qui pro pes-
 cunia sacrificant. Altera, q̄ Paulus semel oblatum esse dixit
 Christum. Ad priorem respondi breuiter, non tollendam
 esse substantiã propter abusum, corrigendum esse abusum,
 seruandum sacrificium, Paulum præterea admittere, ut qui
 altari seruiunt, de altari uiuant. Ad posteriorem quoq̄ bre-
 uiserat responsio, q̄ Christus semel quidem per passionem
 & mortem oblatum est in cruce, Offertur autem quotidie
 per mysterium in altari in representationem & memo-
 riam illius oblationis in cruce semel factæ.

Addebam ex Abbate Tuitiensi, q̄ in ultima quoq̄ cœna
 Christus corpus & sanguinem suum in mysterio obtulerit
 Deopatri, Idq̄ conuinci ac probari ex figura agni pascalis,
 qui immolandus erat XIII. Die ad uesperam, Chris-
 tus autem in cruce oblatum est non 14. sed 15. die mensis,
 Igitur necessario præcessit oblatio mystica 14. die in cœna,
 Alioquin non satisfecisset Christus figuræ agni pascalis. Et
 hanc rationem adhuc ualidam esse existimo, licet heri cla-
 mose à quibusdam circumstantibus contradiceretur, Opor-
 tet enim nos saluare typum agni pascalis, quia scriptura so-
 lui non potest, Accedit & cõmunis oblationum ritus, quia
 in omni oblatione & sacrificio, antequam populus ex eo su-
 meret aut ederet, offerebatur à sacerdote, Non debet igitur
 ex hoc sacro pane & calice sumi à populo, nisi prius of-
 feratur à sacerdote in altari, Alioquin cassa & falsa fiet
 ret omnium ueteris testamenti sacrificiorum & oblatio-
 num figura & significatio, quæ omnes hoc unum no. te-
 stamenti sacrificiũ representauerunt, Conuincit præterea &
 Psalmistę & Apostoli autoritas, quę docet Christum esse
 sacer-

1. Cor. 9.

Christi obla-
tio mystica,
quæ in nos
uult. cœna sas-
ta est.

Ioh. 10.

sacerdotem, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, Qui panem & uinum obtulit Christus autem nusquam obtulisse legitur panem & uinum, nisi in nouissima coena. Ne uero hic molestior fiam Illus. Cels. uestrae longioribus de hoc sacrificio nostro probationibus, offero & exhibeo eidem Teuthonicum libellum, In quo ad XIII. Fundamenta Lutheri, quae contra missam posuit, respondi, Quod si ocium non sit, perlegere totum, saltē perlegat Ill. Cel. uestra, ea quae contra tertium eius fundamentum respondi, ubi eadem tractatur obiectio, quam heri obiecit Ill. Ce. uestra. Quod si responsio mea ibi non satisficiat, legat precor, Ill. C. Vestra illud saltē Capitulum, In quo de Missa tam uarie atque etiam contrarie & contradictorie inter se disceptant septem Capita unius Lutheri, Vnde facile intelliget Ill. Cel. Vest. quanto securius sit credere Ecclesiae Catholicae quam uni Luthero de Missa.

Si autem dixerit Ill. C. V. Non curare se, quid Lutherus affirmet aut neget, sed placere sibi ea quae Phil. Melanthon in Apologia sua de sacrificiorum differentia scripsit. Quandoquidem heri de Eucharistico sacrificio mentio fiebat, Non grauatim exhibebo, si petierit Ill. C. V. Ea quae ad eum articulum, qui est ordine XXIII. respondi, Nunc hoc unum humiliter ac deuote deprecor, ne Ill. C. V. potius credere uni Philippo quam toti Ecclesiae dignetur, scio enim & facile probare possum, Deo bene iuuante. In uniuersa Christi Ecclesia Missam per M. D. Annos à cunctis Catholicis profa sacrificio habitam esse, & neminem ex omnibus produci posse, qui tantas in Missam dixerit blasphemias, quantas dicit Lutherus cum complicibus suis.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Illustriss.

Illustrissima Celsitudo uestra gratiose admisit, sanctos in
 cœlo & orare pro nobis, & à nobis uenerandos & hono-
 randos esse, Acriter uero contendit, non esse inuocandos
 à nobis, quia uoces nostras non audiant, cum non sint om-
 nipotentes ut Deus est. Ego autem, etsi sanctis in cœlo om-
 nipotentiam tribuere neq; uolo neq; debeo, Inuocandos ta-
 men esse non dubitò. Obieci ex tempore illud Epulonis ex
 Euangelio, Pater Abraham miserere mei & mitte Lazarum
 &c. Illustriss. Celsitudo uestra, mox (ut est ingenio prom-
 pra) respondit, Parabolam, non historiam esse. Ego etsi per
 reuerentiam, quam tanto Principi debeo, non reprehendi
 acriter eam responsionem, cum scirem ex Theologis quoq;
 esse quosdam eiusdem opinionis. Respondi tamen, Christum
 ea Epulonis uerba nnsquam reprehendisse, si autem impia
 essent, merito debuisse reprehendi ab illo uere pietatis docto-
 re, sicut reprehendit illius excessus in epulis & uestibus & ne-
 glectam erga pauperem Lazarum misericordiam. Cæterum,
 cum textus non dicat parabolam esse, sicut circa alias para-
 bolas dicere solet, tam facile est negare quam affirmare, pa-
 rabolam esse. Immo longe similis est uero, non parabolam,
 sed historiam ac rem uere gestam esse. Tum, quia Euangeli-
 sta simpliciter narrat, ut historiam. Tum quia mendicum
 ex nomine uocat Lazarum, hoc autem historię potius est,
 quam parabolæ. Vt cunq; autem sit, Ex hoc exemplo potest
 probari, sanctos in cœlo apud Deum posse inuocationes no-
 stras audire. Non enim tam magnum Chaos est inter Eccle-
 siam triumphantem & militantem, quantum est inter bea-
 tos & damnatos. Si ergo Abraham potuit audire Epulonē
 in Inferno sepultum ad se clamantem, quanto facilius po-
 test Beatissima uirgo Maria, Dei genitrix, aut Ianitor cœli
 Sanctus Petrus, aut quiuis aliorum sanctorum, qui Deo om-
 nis

Luc. 16.

Quomodo
Abrahā aus-
diuit uerba
Epulonis.

Ccc nipo

omnipotenti cōiunctissimi sunt, audire inuocationes eorū, qui eis charitate coniuncti eiusdem corporis Christi (quod est Ecclesia) mēbra sunt: iam aperte ait Apostolus primo Corinthiorum duodecimo, Vt non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Si ergo non est schisma in corpore Christi, non recte dicitur magnum esse Chaos inter sanctos in cœlo & fideles in terra, sicut recte dicitur esse inter beatos & inferno sepultos.

Quomodo
sancti in cœlo
audiant
preces nostras.

Si ergo non obstitit Chaos illud magnum, quin Epulo nis uocem audierit Abraham, etiam si nos non intelligamus aut humana ratione capiamus, quomodo audierit. Quanto minus obstitit sanctis in cœlo localis à terra distantia, quin audiant uoces nostras quibus inuocantur à nobis. Cum sint nobis charitate coniuncti, & Deo, qui omnia uidet ac audit, semper coniuncti, In cuius intima conjunctione uident ac audiunt omnia, quæ eos nosse conuenit, licet nos modum aut uiam, quomodo uident et audiunt in hac carnis & humanæ rationis infirmitate, intelligere nō ualeamus, Sufficiat nobis Ecclesiæ fides, Spiritus sancti autoritas, quæ adductum proponit exemplum, & miraculorum euidentis effectus, ac probata ueterum de multis sanctis narratio. Si enim Illustrissima Celsitudo uestra concedit, quod sancti in cœlo pro nobis orant, debet eadem ratione concedere, quod recte à nobis inuocantur, Inuocātur enim ut orent, si autem neq; uideant neq; audiant quæ nostra sit necessitas, aut quid nobis contingat aut imminet, quid orabunt Deum pro nobis?

Negare igitur Inuocationem sanctorum est (ut mihi uideatur) tollere commercium inter membra Triumphantis, ac milis

milantis Ecclesiæ, Est ponere magnum chaos inter beatos in re & beatos in spe, est inducere schisma in corpore unius & eiusdem Capituli, Est præcidere charitatem illorum erga nos & nostram fiduciam erga illos, Est prohibere tribulatis refugium ad amicos & domesticos Dei, Breuiter, est omnium Cœlestis Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinē atq; coniunctionem turbare atq; abrumperē.

Nec ualet argumentum, quo nunc pleriq; abutuntur, Argumentū
inualidum.
Nihil habetur in scripturis de inuocatione sanctorum, ergo non sunt inuocandi. Tum quia non omnia sunt in scripturis expressa, sed multa per Apostolos ore tradita aut per spiritum sanctum Ecclesiæ suggesta, Tum quia norunt Dialectici, locum ab autoritate negatiue non ualere, Tum deniq; quod falsum est antecedens. Non enim omnino nihil de Inuocatione sanctorum in scripturis habetur. Scriptū est enim Genesis quadragesimo octauo. Et inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac. Item Iob quinto. Voca ergo si est qui tibi respondeat & ad aliquem sanctorum conuertere. Item, Psalm. 120. Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Et in Nouo Testamento ait ipse Dominus Lucæ 16. Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in eterna tabernacula, Si autem sancti in illis æternis tabernaculis non essent, aut in illis nos nō audirent, quomodo nos, ubi defecerimus in illa reciperent.

Si quis autem contendat hoc Christi dictum intelligendum esse, non de sanctis in cœlo, sed de sanctis in terra, quāuis textus id non habeat, nec in terra sint æterna tabernacula

Ccc 2 cula

eula, nec in illa nos recipere possint ij qui in eis non sunt) Stabit nihilominus adhuc in suo robore argumentum Sancti Hieronymi contra Vigilantium, quod non est peior conditio sanctorum in coelo quam sanctorum in terra, Si ergo sancti in terra possunt & a nobis inuocari & nos precibus suis adiuuare, Cur non possint id ipsum sancti in coelo? Vereor itaq; ac suspicor, nouos doctores, qui nobis sanctorum inuocationem interdicut, mussitare inter sese, & in cordibus suis sibi dicere & ex animo credere (licet foras proferre ac dicere non audent) quod sancti, qui decesserunt, nondum sint in coelo, sed animas eorum uel in sepulcro cum corporibus, uel in aliquo specu & nobis ignoto receptaculo dormire, donec resuscitentur in nouissimo die, Alicubi enim obijciunt nobis, ne quaeramus ueritatem a mortuis uocantes irreuerenter mortuos, qui in perpetuum cum Christo uiuunt ac regnant, & in Apologia ait Philippus Melanchthon, nullum in scripturis extare testimonium de mortuis orantibus, praeter illud somnium (ut ipse uocat) sumptum ex posteriore libro Machabaeorum. At contra hunc errorem ait in Euangelio Dominus Saducaei, Non est Deus mortuorum sed uiuentium. Et Apostolus ad Philippenses. Mihi uiuere Christus est & mori lucrum, Cupio dissolui & esse cum Christo, idq; ait esse multo magis melius quam permanere in carne.

Qualis haereticorum de sanctis fides

2. Macha. 15.
Matth. 22.
Phil. 1.

Non est contra Christum inuocare sanctos.

Proinde nec illa ualet obiectio, qua Illustrissima Celsitudo uestra querebatur inuocatione sanctorum detrahi honori Christi, q; solus sit mediator et aduocatus noster, Nam nos, dum sanctos inuocamus, non facimus eos Christo contrarios, quos scimus eius in coelo fratres ac coheredes, & non iam seruos sed amicos esse, proinde eos non aliud uelle quam quod Christus uult, cuius uoluntati in nullo aduersant aut resistunt

resistunt. Sed Christus non est inuidus aut osor sanctorum,
 quasi putet honorandos aut Inuocandos non esse sanctos
 sed se solum, Nusquam dicit, me solum honorate & in-
 uocate, non sanctos qui mecum sunt, sed testatur potius,
 eos, tanquam fratres & cohæredes suos, à nobis hono-
 randos esse, dicens eos & à patre suo honorificari, Quin- Luc. 12.
 imo affirmat, quod faciet eos discumbere & transiens
 ministrabit eis, Recte igitur abiens dixi, Non esse Christum Math. 6.
 & sanctos eius inter sese contrarios, ideo non posse nobis ius-
 te obijci de cultu sanctorum illud uerbum Christi, Nemo
 potest duobus dominis seruire. Hæc sunt Illustrissime ac
 Generosissime Princeps Elector, quæ obiter super hestero
 colloquio nostro commemorare & Illustrissimæ Cel-
 situdini uestræ humiliter deuoto obsequio suggerere uolui,
 ne credat me temere in fide maiorum nostrorum perma-
 nere, & nouis sectarum opinionibus contradicere, Res- Prouer. 6. &
 tinet enim me scripturæ autoritas, ne dimittam 22.
 legem matris meæ, ne uel transgrediar ter-
 minos quos posuerunt pa-
 tres nostri.

Ratispone Anno 1541.

Ccc 3 MISCELLA